



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de  
Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Varia Collegia. X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

Atque ad hæc quidem conficienda, non parum contulit Magister Hieronymus Natalis, quem Ignatius hoc ipso anno Commissarium generalem in Hispaniam misit, vt nostris constitutiones à se perscriptas promulgaret: ordinem Collegiorum atque disciplinam inspiceret: eaque quo gubernarentur commòdius, in plures quàm antea, Prouincias distribueret. quod & fecit; & Castellæ Antonium Arazoz, Bèthicæ Michaëlem Torrensem, Aragoniæ Franciscum Stradam. Lusitaniæ Iacobum Mironem (vt fuerat iussus) Prouinciales constituit. Omnibus verò præfecit, & Commissarium generalem in vniuersa Hispania instituit. P. Franciscum Borgiam, cuius erat apud omnes magna in primis auctoritas.

*VARIA COLLEGIA.*

*CAPVT X.*

**H**Vnc in modum, res in Hispaniâ compositæ, mirificum progressum habuerunt. Nam Cordubensis Collegij exemplo fructuque inuitati Hispalenses multi ciues, nostros expetiuerunt. Itaque in sequenti anno 1554. Hispalense Collegium P. Frã-  
X 3
cisci

cisci Borgiae eam in urbem aduentu & concionibus est informatum.

Granatense præterea institutum est, ad quod stabiliendum multum iuuit Petrus Guerrerius, eius urbis Archiepiscopus qui in Concilio Tridentino, ex Iacobi Lainis, & Alfonsi Salmeronis sermonibus, nostrum institutum probauerat, & Patrum illorum vita atque eruditione commotus, nostris omninò fauebat: instituti verò ià Collegij amplificator idem semper dū vixit, ac denique fundator fuit, Placentinus etiam Episcopus D. Gutterius Carauaius, Tridenti eorundem Patrum consuetudine, in reliquam Societatem bene animatus redijt in Hispaniã, & Placentiæ Collegium à fundamentis præclare magnificeque construxit, & annuis prouentibus confirmauit.

In hac serie atque ordine pono Cõchense Collegium, quòd hoc item anno, Francisci Villanouæ consilio, Petrus de Puteo Cõchensis Canonicus, ad valetudinem nostrorum qui Compluti commorabantur, æstiuis calidibus tuendam, tunc quidem inchoauit: postea verò auxit, ac perfecit Petrus Marchiua; Conchensis & ipse  
Cano-

Canonicus, Ignatij dum viueret, postea veto vniuersæ etiam Societatis amicissimus. Propter eorum verò multitudinem, qui eo tempore nomina Societati dabant in Hispania, vt ad nostrum institutum aptius formarentur, Bartholomæo Bustamantio moderatore, Nouitiorum domus Simancæ est constituta.

In alia porrò Genuense Collegium P. Iacobi Lainis opera collocatum est: in quod cum aliorum ciuium, tum verò maximè Pauli Dorie, insignis extant liberalitatis officia, & beneuolentiæ.

Lauretanum verò, Rodulphi Pij Carpenfis Cardinalis, & Lauretanæ domus protectoris consilio conditum est. Qui quidem ad conseruandum cultum sacratissimi loci, & fouendam peregrinorum eò confluentium pietatem, ratis suis laboribus aliquid nostris posse conferre, impetratos ab Ignatio aliquot primùm Lauretani misit: quorum fructus, vbi nihilo spe minor fuit, postea Collegium nostris Pontifex Max. Apostolica autoritate confirmauit.

Sed etiam in Sicilia per idem tempus Societas creuit. Nā & Syracusani

Collegij posita sunt fundamenta à Suero Vega Ioannis Vegæ Proregis filio, eius vr̄bis Gubernatore: & in oppido Montis Regij sumptibus Alexandri Farnesij Cardinalis, eius vr̄bis Archiepiscopi, coemptis domibus, nouoque templo ædificato, domicilium nostris constitutum. Et Sicilia ipsa, creato Hieronymo Domeneco Prouinciali, in Prouinciæ formam redacta.

SORBONENSIS COLLEGIUM IN  
*Societatem decretum.*

## CAPVT XI.

**H**ÆC in Italia, Hispaniaque. In Gallia verò eodem anno 1554. Societas nostra certas sedes habere cœpit. Nam quamuis ab ipso primo ei⁹ exordio, aliqui ex nostris semper fuerint, qui in Academia Lutetiana operam studijs literarum darent: priuatim tamen illi, & nullo certo loco, nullo suo collegio ea in vr̄be commorabantur. Donec D. Gulielmus à Prato Claramontanus Episcopus, qui nostrum Tridenti institutum cognorat, & Patribus Iacobo Laine, Alfonso Salmerone, Claudio Iaio familiariter vsus fuerat, Collegia nobis duo ædificare